

9080.

1373 februari 12.

Avignon.

Påven (Gregorius XI) anmodar på begäran av drottning Ricardis av Sverige biskopen (Bertram) i Lübeck att providera Johannes Lowenborch, kanik vid kyrkan i Hamburg i Bremens stift och baccalaureus i medicin samt kaplan i tjänst hos drottningen, med expektans på en större prebenda vid kyrkan i Hamburg. Prebendan skall mottas inom en månad efter vakantsättningen, och biskopen och domkapitlet i Bremen förbjuds att disponera över den under tiden. Brevmottagaren skall se till att Johannes eller hans ombud kommer i besittning av prebendan och att alla dess inkomster och rättigheter redovisas för honom. Beslutet skall ej hindras av statuter och sedvänjor vid samma kyrka, till exempel att innehav av prebenda skall ske stegvis från en mindre till en större; ej heller skall det vara ett hinder att Johannes redan innehar kanonikat och en större prebenda vid samma kyrka samt sockenkyrkan i "Scheneuelde". När Johannes i kraft av detta brev har kommit i besittning av den större prebendan, skall han genast lämna den prebenda han sedan tidigare innehar, vilken då blir ledig.

Reg. Aven. 189, fol. 109v–110r, Vatikanarkivet.

Om drottning Ricardis (d. 1377) se SBL XXX, s. 145.

Om namnet Lowenborch (eller Løuwenborch) se B. Sundqvist, *Deutsche und niederländische Personenbeinamen in Schweden bis 1420* (1957), s. 235.

Venerabili fratri episcopo Lubicensi salutem etc. Dignum arbitramur et congruum, ut illis se reddat sedes apostolica graciosam / quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur / Volentes itaque dilectum filium Johannem Louenborgh, canonicum ecclesie Hamburgensis Bremensis diocesis, bacallarium in medicina / apud nos de litterarum sciencia, vite ac morum honestate alijsque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu necnon consideratione carissime in *Christo* filie nostre Richardis regine Swecie jllustris pro ipso Johanne dilecto familiari et capellano suo nobis super hoc humiliter supplicantis / fauore prosequi gracioso fraternitati tue per apostolica scripta mandamus · quatinus, si post diligentem examinationem dictum Johannem / ad obtinendum maiorem prebendam dicte ecclesie, in qua maiores et minores prebende existunt, ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscienciam oneramus / vnam de huiusmodi maioribus prebendis, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens, uel cum vacauerit, quam dictus Johannes per se uel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum infra vnus mensis spacium, postquam sibi uel eidem procuratori vacacio illius innotuit, duxerit acceptandam / conferendam dicto Johanni post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinenciis suis donacioni tue auctoritate nostra reserues / districcius inhibendo venerabili fratri nostro archiepiscopo Bremensi et dilectis filijs capitulo dicte ecclesie ac illi uel illis, ad quem uel ad quos in ipsa ecclesia maiorum^a prebendarum collacio, prouisio, presentacio seu queuis alia dispositio pertinet communiter uel diuisim / ne de dicta maiori prebenda interim, eciam ante acceptacionem huiusmodi / nisi postquam eis constiterit, quod Johannes uel procurator predicti illam noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant / ac nichilominus prebendam ipsam, quam reseruabis, si ut premittitur vacat vel cum vacauerit, eidem Johanni post acceptacionem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinencijs suis auctoritate predicta conferas et assignes jnducens per te uel alium seu alios eundem Johannem uel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem maioris prebende iuriumque et pertinenciarum predictorum et deffendens inductum / ac faciens ipsum Johannem uel dictum procuratorem pro eo ad huiusmodi maiorem prebendam, ut est moris, admitti / sibi que de ipsius maioris prebende fructibus, redditibus, prouentibus, iuribus et obuencionibus vniuersis integre responderi / contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo / non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus ipsius ecclesie et presertim illis, quibus caueri dicitur, quod nullus aliquam de dictis maioribus prebendis possit assequi / nisi prius de minori ad maiorem gradatim et per opcionem

ascendat, contrariis juramento, confirmatione apostolica uel quacumque firmitate alia roboratis, seu si super prouisionibus sibi faciendis de huiusmodi maioribus prebendis in dicta ecclesia speciales / uel alijs beneficijs ecclesiasticis in illis partibus generales / dicte sedis uel legatorum eius litteras impetrarint / eciam si per eas ad inhibitionem, reseruacionem et decretum uel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus preterquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa maiores prebendas expectantibus dictum *Johannem* in assecucione dicte maioris prebende volumus anteferrj / sed nullum per hoc eis quo ad assecucionem maiorum prebendarum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari / seu si archiepiscopo et capitulo predictis uel quibusuis alijs communiter uel diuisim ab eadem sit^b sede indultum / quod ad recepcionem uel prouisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdicti, suspendi uel excommunicari non possint, quodque de maioribus prebendis ipsius ecclesie uel alijs beneficijs ecclesiasticis ad eorum collacionem, prouisionem, presentacionem seu quamuis aliam dispositionem coniunctim uel separatim spectantibus nulli valeat prouideri / per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mencionem / et qualibet alia dicte sedis indulgentia generali uel speciali, cuiuscumque tenoris existat / per quam presentibus non expressam uel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet uel differri et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mencio specialis / aut si dictus *Johannes* presens non fuerit ad prestandum de obseruandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie racione dicte maioris prebende solitum juramentum / dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum et cum ad ecclesiam ipsam accesserit, corporaliter illud prestet / seu quod idem *Johannes* in ecclesia eadem et maiorem prebendam et parrochiam ecclesiam in Scheneuelde dicte diocesis noscitur obtinere / Volumus autem, quod idem *Johannes*, quamprimum vigore presencium huiusmodi maiorem prebendam fuerit pacifice assecutus, dictam maiorem prebendam, quam, ut prefertur, obtinet / quamque extunc vacare decernimus, omnino dimittere teneatur / Et insuper, si dictus *Johannes* ad hoc receptus fuerit ydoneus ut prefertur / exnunc perinde irritum decernimus et inane, si secus super hijs a quoquam quauis auctoritate scienter uel ignoranter contigerit attemptari / ac si die date presencium beneficia de dictis maioribus prebendis, si qua tunc vacabat uel cum vacarent, quam idem *Johannes* duceret acceptandam, ut prefertur, conferendam eidem *Johanni* post acceptacionem eandem donacioni apostolice cum interposicione decreti duxissemus specialiter reseruandam. Datum Auinione · ij · jdus Februarii, anno tercio.

^a Bokstaven i tillagd öwer raden och här insignerad ms. ^b Ordet upprepat och öwerstruket ms.